



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio III. Positâ possibilitate puræ omissionis liberæ, dandané illa Deo?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

fecisset augmentum, bonorum, neque intra se, neque extra se. Voluntas enim creandi licet non sit perfectiva Dei, est tamen perfectiva creaturarum. At verò si nihil creasset illa volitio, ne quidem creaturas perficeret, ut est manifestum. Tum quia. Voluntas libera non potest pati necessitatem producendi aliquod bonum, nisi illud bonum sit necessarium ad possessionem finis efficaciter intenti, quæ sola intentio necessitat ad media. ob quam rationem intellectus noster nulli veritati, contingenti, quam non videt existentem, assensum necessarium præbet. Sicut enim finis habet se ad voluntatem; ita prima principia per se nota & visa se habent ad intellectum, necessitatemque voluntati ad media, finis efficaciter intentus, & intellectui veritas visa adfert. Quo posito sic ulterius subsumit. Potest accidere, ut mihi persuadeam, aut saltem imaginem me jam consecutum esse finem propositum, & me non indigere jam ulteriori bono, ut sim beatus, sed tunc potero liberè nullum querere bonum, sed sistere in meipso. Sicut Deus potuit in se sistere, bonum nullum distinctum à se producendo. consequenter per puram omissionem liberam non ponere actum: quia qui liberè eligit aliquem actum positivum, v. g. amorem perfectivum, jam quærit ulterius bonum.

RESPONDETUR 1. Neg. Maj. Prima illius Probatio non convincit: quia quamvis illa determinatio Dei libera nullum fecisset reale physicum augmentum in Deo, obstante formalitate actus puti, fecisset tamen augmentum ex modo nostro concipiendi, quale augmentum facit etiam volitio creandi mundi, unde non haberet tunc Deus omissionem liberam, sed eliceret actum æquivalentem, huic nostro, Nolo quidquam creare.

Secunda probatio non convincit: quia quamvis voluntas libera non patiatur necessitatem producendi aliquod bonum non necessarium; tamen non excluditur hic modus ipse nolendi, qui propter rationes adlatas etiam in omissione libera requirit actum. unde non est quidem necessitas nolendi objecti, est tamen necessitas modi nolendi ejus, quo non nisi potest nolle voluntas. hic autem est si nolle sit liberum, actus positivus.

RESPONDETUR 2. Nego Min. Probatio ejus distingui potest. Actus ille augeret bonum augmento sibi extrinseco, & transitive, Nego. augeret augmento in transitive, & quod augmentum est ipsemet ille actus Conc. propositionem. Illustratur. Potest voluntas imperare hunc actum eliciendum positivum, Nolo hunc actum elicere, cur non enim? Et si potest ab intellectu proponi: cur non & attingi ab appetitu rationali? Cujus actus erit iste sensus, Nolo ullum actum præter hunc quo dico nihil me voluturum in posterum. ita & in præsentem idem con-

tingeret. Quare autem non possit voluntas nolle liberè habere augmentum bonorum sine omni actu, id colligitur ex probationibus adlatas.

Ea quæ attinent ad Auctoritates S. Thomæ vel S. Scripturæ, explicari possunt. quod loquantur de omissione, sed non omissione pura libera. S. autem Thomas, quando interdum dicit posse esse peccatum omissionis sine omni actu, loquitur de actu qui per se & directe velit illam omissionem, cum sufficiat indirecte & in alio illam velle.

QUÆSTIO III.

Posita Possibilitate puræ Omissionis libera, dandane illa Deo?

AD Complementum & Quæstionis & solutionis Argumenti immediate propositi ex Perez, discutienda est hæc Hypothesica. Si possibilis esset in Creatis pura ommissio libera, possetne illa poni etiam in Deo? Quam Quæstionem movit Quiros in t. p. d. 67. negatque Deo omissionem liberam, citans pro hac sententia, Suar. Fons. Sal. Ruiz, Salmanticenses.

DICENDUM est. Si esset possibilis pura ommissio libera, illa etiam in Deo reperiretur.

PROBATUR 1. Quia quæcunque implicancia ostenditur, quod repugnet Deo pura ommissio libera, illa militabit, quod non detur in creatis. Ergo si in creatis illa implicancia, ut supponitur, non convinceret, nec convinceret in Deo. Quod ipsum ulterius in hoc fundatur. Ideo potest creatura omittere: quia posita objecti propositione, sufficit non movere se voluntatem: & quia voluntas est potentia libera, necesse bonum necessarium de cujus omissione deliberatur, &c. reassumanturque Rationes pro hac omissionem in creatis. sed potest esse propositio objecti, Deo, sufficitque si voluntas Divina se non moveat. quod si potest facere creatura voluntas, Cur non poterit increata, estque libera voluntas divina, & non necessitata &c. &c. Ergo si potest omittere purè liberè voluntas creatura, poterit & increata.

PROBATUR 2. Si posita possibilitate omissionis puræ liberæ, in creatura, non esset illa possibilis in Deo, esset impossibilis vel ex prædicato libertatis. & hoc non: quia & ratio, & fides ponit in Deo libertatem. vel repugnabit ex prædicato puræ omissionis, idque ex eo: quia quod in Deo est, Deus est, adeoque & pura ommissio Deus erit; Deus autem non est purum non esse, seu ommissio. Sed hæc ratio non convincit: quia quamvis in Deo actus liber sit idem in re quod necessarius, nihilominus datur in Deo actus liber. Ergo etiam dari poterit & actus puræ omissionis, quamvis ille in re & in reo sit quid positivum.

Proba-

Probat^{ur} Paritas. Ideo verum est Antecedens: quia positā paritate in recto, & quo ad entitatem &c. inter actum necessarium & liberum, salvatur formalitas liberi, ratione æquivalentiæ per nos, ratione connotatorum etiam per alios multos, ratione diminutæ existentia per Perez, quæ deficit vel advenit Deo. Ergo etiam positā paritate inter actum positivum, & inter puram omissionem quoad rectum & entitatem, poterit etiam assignari disparitas ratione æquivalentiæ ad creatam omissionem, ratione obliqui & connotati, ratione diminutæ seu interpretativæ existentia.

PROBAT^{UR} 3. Quòd seclusis imperfectionibus dicit proprium suum conceptum, illud omni Deo tribui debet: Nam Deus est essentialis exigentia omnis perfectionis. Sed omissio pura libera, seclusis imperfectionibus dicit adhuc suū proprium conceptum, nempe objecto non merente determinatē volitionem, nec determinatē nolitioem, non ponere utrumque, quod verè erit omissio pura libera. Et certè dicere actum positivum: Non volo bonum, & nolo hoc bonum (casu quod sit finitum, & non necessitans) est perfectio. Ergo etiam erit perfectio, dicere uno actu positivo, nec volo, nec nolo. Si enim separatim illi actus non dicunt imperfectionem. Cur dicent conjunctim in uno actu positæ illæ tendentiæ voluntatis? Ergo etiam ulterius nec erit imperfectio purā omissione liberā idem facere, quod facit ille actus positivus, nec volo nec nolo. Denique nullus ille actus qui competit alicui principio, cæteroqui etiam reperibili in Deo est imperfectus, modò ad illum actum ipsum illud principium per se ordinatur: hoc ipso enim non posset competere Deo si diceret ordinem, suppono transcendentalem, ad aliquid imperfectum; redderetur enim ratione illius ordinis essentialiter imperfectum, atque adeo inconveniens Deo. Sed suppositā possibilitate omissionis puræ liberæ, ommissio pura libera competit voluntati liberæ, ordinaturque ad hunc actum voluntas, & quidem per se. Ergo

Minor probatur. quoad primam partem, quia ommissio libera habet pro principio voluntatem. Ergo illi competit. Quoad secundam partem. Nempe quod ordinetur voluntas ad omissionem puram liberam. Quia hic ordo in re nihil aliud est nisi ipsamet voluntas libera potens ommittere, & ommissio quæ supponitur possibilis, ordinabiturque voluntas ad illam per se, quia ad hoc solū non ordinatur per se voluntas, quod est malum, & de se peccaminosum. hoc autem non competit ut sic omissioni puræ liberæ.

OBJICIT 1. Quiros. Nullum prædicatum divinum potest non amari à Deo, utique amore efficaci, vi cuius, quantum est ex se, voluntas divina daret existentiam, si posset, tali prædicato. Ergo nequit voluntas divina purè ommittere. Conseq. patet. Nam ut purè omittat, debet ne-

gare existentiam alicui prædicato divino; nempe volitioni, quam potest habere. Antecedens probatur. Nam omne prædicatum divinum est bonum infinitum; hoc autem dum videtur clarè, necessitat ad amorē efficacem sui (inefficax enim debetur bonitati finitæ) Quod ipsum ex eo Confirmat. Quia Beatus necessario amat omne prædicatum divinum, ut æque à quolibet rapiatur. uti æque ex clara intuitione cuiuslibet actus, quantumvis liberi bearetur. Ergo similiter dicendum de Deo, qui ad se amandum ex summa perfectione necessitatur.

RESPONDET^{UR}. Inprimis Argumentum multum probare.

Retorquetur enim sic. Nullum prædicatum divinum potest non amari à Deo, utique amore efficaci, vi cuius daret illi existentiam quantum est ex se voluntas divina. Sed nolitio præsentis mundi est tale prædicatum. Ergo illi dat existentiam voluntas divina. Ergo nunc est nolitio efficax præsentis mundi, & tamen supponitur de facto existere mundus. Deinde dici potest, nullum prædicatum divinum secundum id quod dicit in recto, potest non amari à Deo, potest tamen non amari à Deo, secundum id quod dicit in obliquo, dabitque illi Deus existentiam secundum id quod dicit in recto, non verò secundum id, quod dicit in obliquo, nolitioque positiva dabit Deus existentiam secundum id quod dicit in recto, sicut & ipsimet omissioni puræ liberæ.

Rursus. Unicuique efficaciter amato prædicato, dat existentiam Deus, si illius sit capax; & quia ommissio existentia non est capax nisi interpretativè, & virtualis cuiusdam, & quidem ad Dei arbitrium, ideò illam Deus non dat semper; & si dat, interpretativam dat, & sicut Beatus rapitur actu Dei libero non nisi secundum id quod dicit in recto, ita & Deus rapitur ad positivam nolitioem, vel ad puram omissionem, non verò secundum quod dicunt aliquid in obliquo. obliquum autem istud omissionis, est objectum, nec determinatē volitum, nec determinatē positivo actu nobile.

OBJICIT 2. Idem. Ut Deus pure omittat volitionem, necessarium est ut in illa inveniat aliquid malum. concessio autem, quòd nolitio mundi non imbibat imperfectionem, dici non potest, quòd sit mala. Seq. probatur. Qui pure omittit amare interpretativè habet nolitioem amandi. Ergo licet non in objecto, at in exercitio ipso nolendi invenit aliquid mali. Quod ipsum ulterius in hoc fundatur. quia volitio divina nec est mala in se, uti volitio creata quæ imperfecta est, neque quā impedit aliquid boni, nisi quatenus est impeditiva alicuius actus divini: pura enim carentia sui bona esse nequit si ipsa volitio in se mala non est.

RESPONDET^{UR}. Ut Deus omittat purè volitionem mundi, non est necesse ut in volitione,

(F) 2 vel

vel illius exercitio inveniatur aliquid mali; sed sufficit ut advertatur non esse in mundo infinitam rationem boni: quia si Deus velit actu positivo omittere volitionem mundi non est necesse, ut in ipsa volitione advertatur aliquid mali: ita quando pure omittit non est necesse ut in volitione advertatur aliquid mali.

Neque valet si dicas cum Quiros. hoc tantum verum esse, quando quis non cognoscit reflexe ipsum exercitium, quod Deus nescit. non inquam valet. Quia saltem aliquando potest creatura reflexe noscere hoc exercitium, & tamen illud omittere pure non ex eo, quod illud exercitium malum sit, sed quia liberum sibi est. Deinde, quia licet ad hoc ut oderimus aliquid est necesse obiectum proponi sub ratione mali; nihilominus, ut abstinamus ab actu non est necesse, vel odisse actum, vel odisse obiectum. Sed formalissime id sufficit: quia non apparet & obiectum & exercitium actus, per modum boni infiniti, & necessitantis. Supposita quoque possibilitate omissionis pure liberæ ponendo eam voluntas non extraheretur extra speciem modi sui agendi, extraheretur autem si odisset aliquid non propositum sibi tanquam malum. Quod autem dicit Quiros. quando Deus omittit positive volitionem mundi, invenit rationem mali respectivè: quia invenit impedivum bonitatis inventæ in tali volitione. Idem ad præsens applicari posset. quod scilicet illa volitio sit respectivè mala: quia scilicet impedit bonum omissionis; non quidem physicum. siquidem est pura carentia, sed bonum convenientiæ ad maiorem & extendiorem usum libertatis progredientem usque ad puras omissiones. probandumque illi restaret, quod nullius bonitatis etiam interpretativæ & virtualis existentia sit in illa omissione, cum pure omissioni liberæ concedatur interpretativa, & virtualis existentia. Quamvis autem nihil sit mali in volitione opposita, non probatur, quare non sit boni quidquam in hac extensione libertatis quæ fit per omissionem puram. Ad eum modum quo potest nihil mali advertere in aliqua volitione creata voluntas, & tamen ex sola libertate et eundem pure omittere, posito quod pura creata ommissio non implicet.

OBJICIT 3. Idem. Assumitque principium. Quod scilicet pura ommissio liberæ importet imperfectionem. & quidem imperfectio est quod positio pure omissionis liberæ, careat vero gaudio & felicitate: hæc enim non est in omissione sed in præsentia boni.

RESPONDETUR. Verum quidem gaudium non fit omissione gaudii. Sed nego, quod verum gaudium non possit esse circa omissionem tanquam circa obiectum negandumque restat, quod posita possibilitate pure omissionis liberæ, non possit stare gaudium in ipsa illa interpretativa existentia omissionis, & in usu illo exten-

si libertatis usque ad puras omissiones, quæ de se non sunt male.

INSTAT 1. Minus haberet illa ommissio in sua entitate & perfectione, siquidem prædicatum positivum positivæ volitionis per nullum aliud compensat pura ommissio.

RESPONDETUR. Quod ommissio pura secundum id quod dicit in recto non minus habeat præ volitione; licet habeat in obliquo minus. Nam volitioni mundi obliquum respondens est mundus; omissioni autem, nec existentia, nec non existentia mundi, sed imparitas ista in obliquo actu Dei admitti debet: quia etiam positivæ volitioni mundi respondet negatio mundi, quæ non est par existentia mundi.

INSTAT 2. Si posset dari ommissio pura libera, posset etiam Deus velle per volitionem realiter distinctam.

RESPONDETUR. Negando seq. Quia posita omissione pura in recto tamen importante ipsam Deitatem, non destruitur simplicitas Dei ratioque actus puri, quod utrumque destrueretur, si Deus vellet per volitionem realiter distinctam.

INSTAT 3. Si daretur ommissio pura libera Spiritus S. non procederet ex omni exercitio libero. siquidem ex carentia procedere nequit. Unde non ita adæquaret voluntatem; sicut VERBUM intellectum.

RESPONDETUR. Posse procedere Spiritum S. ex omissionibus etiam liberis: & licet non possit procedere ex carentiis puris, potest tamen procedere ex carentiis puris liberis: in hoc quæ disparitas erit: quia priores sunt merum nihil, secus posteriores: priores negant omne esse posteriores, non negant interpretativum esse, nec negant quietem possessionis, quam negant merum nihil.

OBJICIT 4. Idem. Quando Deus amans creationem mundi omittit imperium talis amoris, deberet per aliam omissionem omittit illud imperium, & hoc per aliam, quod est concedere processum in infinitum. Assum. Probat. Nam Deus per nullum exercitium simplex omittere ponit impedimentum imperio reflexo de tali exercitio: stat enim bene quod Deus omittere imperium circa amorem, & nihilominus imperet reflexe talem omissionem.

RESPONDETUR 1. In Deo posse admitti. Sicut infinitum cogitationum, de omnibus possibilibus; ita & infinitum imperiorum de omnibus suis volitionibus, nolitionibus, omissionibus, quæ omnia imperia erunt syncategore matice infinita, sicut & notitia omnium possibilium quia verò non est illic ulla realis multiplicitas omissionum, vel imperiorum, sed ipsa essentia Divina una æquivalens omnibus illis, jam devitabitur infinitudo, qualis in scholis impugnatur. De quo ipso imperio sic discutitur. Quando Deus amat & intelligitur omittit imperium amoris

amoris, vel procedit Argumentum de imperio in se ipso, & hoc nunquam omittitur: nam ipse amor qui est volitio, formalissime includit volo amare. quod ipsum est imperium in se ipsum. Si autem sit res de imperio reflexo, tale imperium concedi potest Deo: quia nobis ex eo non conceditur, eo quod nobis non repræsentetur semper honestas illius imperii. Unde non habemus semper prærequisitum ad formandum illud imperium. Deo autem omnes hæ honestates semper sunt præsentēs, adeoque est expeditus ad illa formanda. imò formabit illa, ut plenius salvetur quomodo sit Deus infinitum volitivum, non tantum in ratione entis, sed & in ratione volendi. utq; salvetur immutabilitas volendi in quacunque suppositione possibili, debet habere omnem possibilem volitionem. de quo in 1. parte.

Neque valet si dicas. Admitti à nobis processum in infinitum in principiis, quod horret scholasticis, eo quod concessio hoc processu, sequatur nihil unquam posse produci. Non inquam valet. quia omisio ipsa, aut imperium omisionis, non est per se principium productivum. hinc non sequetur posito hoc processum impediri productionem effectuum. Deinde. Non debet admitti processus in infinitum in causis, si illæ distinctæ sint, & si infinitudo illa processuum non innectitur ipsi conditioni unius imperii. jam autem infinitudo omisionum, & imperiorum imperantium omisiones innectitur uni principio,

quod est infinitum volitivum in quo pluralitas actionum unitas est.

Quod si dicas illud imperium secundum fore otiosum; negabitur hoc: non est enim infinito volitivo indebitum.

RESPONDETUR 2. Negando, quod Deus imperium amoris omittens debeat ex vi rationis allata per aliam omisionem omittere. Quamvis enim simplex exercitium omittendi non impedit imperium reflexum, si simplex exercitium omittendi non circumstantionetur formalitate quietis in bono illo possessio, ut loquitur Perez, quod bonum, est sola omisio actus; secus si circumstantionetur formalitate huius quietis; vel alia phrasi. simplex exercitium omittendi non impedit reflexum imperium de illa omisione, si voluntas se ulterius exercere velit liberè. Secus si nolit, nolle illud exercendo purà omisione, licet non liberà.

OBJICIT 5. Si daretur in Deo omisio pura libera, daretur in Deo potentia realis. ut vivat per aliquid aliud realiter distinctum & ad suscipiendam denominationem ab aliquo imperfecto, qualis est carentia.

RESPONDETUR. Negando, quod pura omisio secundum id quod dicit in recto, & secundum quod est vita interpretativè sit aliquid realiter distinctum à Deo, licet ratione connotati sit aliquid realiter distinctum. quod etiam evenit in aliis actibus liberis ex communiore sententia.

DISPUTATIO III.

De aliis Divisionibus Peccati.

REvis illæ expeditur. Nam quæ hæc adferri possent, vel alibi tractata sunt. vel spectant ad materiam controversam.

QUÆSTIO I.

De Divisione in Mortale & Veniale.

PRÆMITTO 1. *Tam de Mortali, quam veniali prædicatur hoc Genus, Peccatum.* An autem sit prædicatio univoca, an Analoga. inquirere solent Auctores. Et certè quod utriusque posite haberi conceptus perfectè unus, decidi debet conformiter ad ista quæ dicta de conceptu Entis. Addit Suar. dif. 2. hic Sect. 5. Quod secundum Metaphysicam considerationem, univocè conveniant; non tamen secundum considerationem Theologicam, & secundum nocumenta quæ adferunt Animæ.

PRÆMITTO 2. *Dari peccata tam venialia, quam mortalia.* Ratio. Tum quia. ita docet Scriptura. Ipse enim Christus comparat quæ-

dam peccata festucæ, quædam trabi. Sanctus etiam Joannes ep. 1. cap. 1. v. 8. dicit ex una parte. Si dixerimus, inquit, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Unde agnoscit dari in nobis peccata sine quibus non sumus in hac vita, & tamen dicit idem Joan. c. 3. v. 6. Omnis qui in eo manet non peccat. & infra v. 9. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit. Unde jam agnoscit esse quædam peccata, quæ de istis qui manent in Deo non possunt affirmari, nec de istis qui dicunt de se v. 18. quia translati sunt de morte ad vitam. quæ duo loca concordari non possunt, nisi ponatur diversitas peccatorum stantium cum charitate, & expellentium charitatem. Tum quia. Ita definit Trid. Sess. 8. c. 11. & 12. & Can. 23. & 25. & Sess. 14. c. 5. Can. 7. Tum quia. In moralibus etiam dantur offensæ leves & graves. Cur in præfenti non dabuntur.

PRÆMITTO 3. *Præter dicta alibi de mortali & veniali quærendum restat, quid sit constitutum*

(F) 3

utrius-